

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Adolescenti studiosissimo Ioanni Reiffenstein S.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Adolescenti studiosissimo Iohanni
Reiffenstein S.

Martinus reddidit mihi suauissimas literas tuas, mi Iohannes, quæ mihi attulerunt maximam uoluptatem. Gaudebam enim primum patris tui causa, uiri optimi, qui nulla ex re fructum capit aut uoluptatem maiorem, quàm ex studijs tuis ac fratrum tuorum. Deinde delectabar & Reipublicæ causa. adducor enim in spem, ut literæ et honestæ artes integre ad posteros perueniant ac transferantur, cum te ac tui similes uideo tam studiose operam dare literis. Precor itaque Christum, ut faueat tuis studijs ac fratrum tuorum: idq; faciat, si tu quoq; cum toto populo rogabis, ut te adiuuet, & gubernet omnem uitæ tuæ cursum. Amare enim se testatur hanc tuam ætatem, cum dicit: Simite paruulos uenire ad me: talium est enim regnum cœlorum. Hoc classico, hac uoce uocat tui similes ad honesta, & pollicetur precium ingens. Hanc uocem Dei nostri ac saluatoris, mi Iohannes, memineras tibi sequendam esse. Idem Christus custodiat & conseruet te semper, & gubernet tua studia ad utilitatem Reipublicæ, & ad suam laudem. Bene uale. Matrem tuam uerbis meis reuerenter saluta.

Optimo uiro Guilhelmo Reiffenstein,
amico suo summo, S. D.

Quod faustum & felix sit, proficiscitur isthuc
iuuenis,